



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

[IX.] De Pvero Coeco Illvminato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

RVBERTO qui fratrum vestibus præerat, sibi familiari, familiariter requisivit, cuius sepulchrum hoc esset, quod in medio Monasterij cerneretur. Et audito quod primi Abbatís esset istius loci, & quod idem fuisset vitæ sanctissimæ, quodque in carne adhuc & post mortem miraculis clarississet, & ab his destitisset ad horam, ex causa qua nesciret. Dictas VVALTMANNVS illi RVBERTO, scito, inquit, quod in breui Dominus iterum eius merita declarabit. Vidi enim in visione me cum multis intrasse hanc Basilicam ad orandum, & ecce à parte capitis tumuli, arbor, vt videbatur, aurea tantæ magnitudinis succrescebat, vt latitudorumorum ipsius cunctam repletet Ecclesiam, & extra ianuam insuper se protendens. Quo profecto protendebatur, quia q̄ olim dixit Dominus Domino meo vnigenito suo Christo passo in carne, hoc famulo suo similiter, etsi non sicut vox huiusmodi dilapsa ad eum magnifica gloria, ipso tamen effectu esset in breui dicturus, Et clarificaui & iterum clarificabo. Clarificaui videlicet degentem in carne vita insigni, transitu glorioso de mundo migrantem, virtutibus & miraculis iam defunctum, & iterum clarificabo in nouissima tuba, inter omnes electos, interim vero sequentibus signis, quæ pro negligentia & reatu quorundam pro tempore cessauerunt. Quod & rerum euentus in proximo declarauit.

DE PVERO COECO ILLUMINATO.

**S**IQUIDEM paucis diebus elapsis, vespere Sabbathi, cum post officium vespertinum, processio ante altare sanctæ CRUCIS solito ageretur, quidã aderat inter multos, qui puerum cæcum in brachijs depor-

deportabat. Cui cum ianua clauderetur egresso THEODERICVS quidam Monachus ei obuians, & vidēs puerum esse cæcum, redire consuluit, & sancti suffragia postulare. Populo itaq; qui iam exierat redeūte cum puero, Deo ac famulo eius pro illuminatione pueruli à cunctis obnixius supplicatur. Et continuo Deus omnium exauditor, cæcos oculos claro lumine reuestiuit, suum glorificans Confessorem. Rogatus ergo pueri gerulus, apud nos aliquamdiū demorari, ob tanti miraculi testimonium recusauit, se quidem & puerum esse protestans, patre & matre carentes, & de GALLIA BELGICA oriundos ex territorio TREVERENSI, seq; puerum compassione fraterna ad diuersos Sanctos spe circumtulisse salutis, cuius subuentionem expertus nunc esset beati ERMINOLDI gloriæ reseruatam. Ideo, inquit, iam propter quempiam non tacebo, & propter aliquem non quiescam, donec ad solum natale regressus, annunciem huius sancti præconia circumquaq;.

### DE PARALYTICA curata.

**Q**UÆM mulier quædam iuuenula de ciuitate RATISPONENSI à parentibus matrimonio copulata, ita post breue tempus est dissoluta paralyti, vt loquendo vsus prorsus amitteret, oculo altero priuaretur, dentes haberet ad inuicem ita compressos, vt hora refectiois cultello vix soluerentur ad escam, manibus quoq; contracta & pedibus, miserabile sui spectaculum præbebat. Quæ more solito, ponderata iuxta sepulchrum viri Dei per suos, mox tam integraliter est sanata, vt quæ ab alijs deportari consueuerat, pedibus sanis accederet ad altare, & manibus ante contractis sacrificium offerret

ZZZ offerret